



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. In quo actu formaliter consistat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



## ARTICULUS I.

## Quid sit Lex aeterna?

## SUMMARI A.

1. *Legis aeterna latior & strictior acceptio.*
2. *Duo principales actus pertinent ad Legem aeternam.*
3. *Subiectum Legis aeternae.*
4. *Illius materiae operationes liberae creatae.*
5. *Non divinae.*
6. *Hinc nulla creaturae rationalis legis expertio.*

## §. I.

## In quo actu formaliter consistat?

**L**ex aeterna quandoque in latiori, quandoque in pressiori significatione accipitur. Latius accepta, ut fit frequenter in sacra pagina, significat rationem Divinae Sapientiae, quatenus directivam omnium motuum & creaturarum in suos fines. Pressius verò accepta denotat rationem ejusdem Divinae Sapientiae actus liberis creaturae rationalis efficaciter ordinantis in finem ultimum.

2. Unde duos principales actus lex aeterna includit. unum praesuppositivè, qui est iudicium scientiae simplicis intelligentiae, quo DEUS cognoscit actus ordinabiles, vel inordinabiles ad se ut ultimum finem: respectu priorum est iudicium virtualiter negativum & aversativum, ut optime advertit Reding, ex quo pariter in voluntate fundatur tum simplex complacentia in actibus ad se ordinabilibus, tum displicentia in actibus inordinabilibus. Secundus actus est scientiae visionis, per quem DEUS, supposito decreto, quo vult ut creaturae rationales per liberos & morales actus in se tendant, tanquam in ultimum finem, efficaciter exprimit, imperat, & causat omnem cujuscunque legis efficaciam.

## §. II.

## Subiectum &amp; materiae Legis aeternae.

3. **L**egis aeternae sub ampla significatione subiectum sunt omnes creaturae, siquidem omnes

subiiciuntur rationi directivae Divinae Sapientiae. Ideo S. D. a. 4. *Quaecunque divinae gubernationi subdantur, subiiciuntur etiam legi aeternae.* Et D. Aug. l. 19. de Civit. *Nullo modo, inquit, DEI aliquid legibus, ordinationibus, subtrahitur, à quo pax universitatis administratur.*

At verò legis aeternae propriè acceptae materia sunt operationes liberae & morales creaturae rationalis; nam omnes actus liberi sive Angelici sive humani suam moralitatem obtinent dependentè à conformitate, vel difformitate ad legem. Lex verò vel est ipsum DEI imperium, & lex aeterna, vel certè derivatur ab ipsa, ideoque omnes actus humani vel proximè vel remotè ab aeterna DEI lege mesurantur.

Etiame actus DEI liberos ipsius legi subiiciamus? Nequaquam: tum quia lex non est nisi erga subditum; at DEUS nec intra nec extra se habet superiorem se: tum quia voluntas divina essentialiter recta cum suo intellectu identificata, est ipsamet regula & lex divina: at lex non datur respectu sui ipsius.

Hinc deduces contra exleges haereticos, nullam dari creaturam rationalem iugo legis exemptam. Neque obstant Apostoli verba 1. ad Tim. 1. & ad Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Nam duplex illorum verborum potest esse sensus, interpretè Doct. Angel. q. 93. a. 6. ad. 1. primò quòd iusti non sint sub lege timore supplicii, tanquam in vii & homines servilis ingenii, quia spirituales viri per charitatem, quam Spiritus sanctus cordibus eorum infundit, voluntariè id, quod legis est, implent. Secundò, in quantum opera hominis iusti, qui Spiritu sancto ducitur, magis dicuntur esse opera Spiritus sancti quàm ipsius hominis; ideoque in quantum Spiritui sancto tribuuntur, non sunt sub lege: *ubi enim Spiritus, ibi libertas* 2. ad Cor. 1.

## ARTICULUS II.

## Quid sit lex naturalis.

## SUMMARI A.

1. *Existentia legis naturalis.*
2. *Duplex acceptio legis naturalis.*
3. *In quo actu formaliter consistat?*
4. *Est lex necessaria necessitate consequenti.*
5. *Definitio Legis naturalis.*
6. *Est diverso sensu lex una & multiplex.*
7. *Non consistit in ipsa hominis natura.*
8. *Non etiam in aliquo habitu,*
9. *Neque in conscientia.*
10. *Actus aliqui sunt intrinsecè mali fundamentaliter, quia praesuppositivè ad legem repugnant naturae rationali, non verò formaliter.*
11. *Status questionis de distinctione juris naturalis & gentium,*  
R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.
12. *Non est accurata divisio juris gentium in primarium & secundarium.*
13. *In quibus conveniant & differant utrumque jus?*
14. *Ostenditur differentia in 4. generibus causarum.*
15. *Differit etiam in obligationis universalitate & immutabilitate.*
16. *Jus gentium est jus non scriptum.*
17. *In eodem actu reperitur jus naturale, gentium & civile.*
18. *Quo sensu foedera belli & pacis sint de jure gentium?*

O O

§. I. Legis